

gentes exercitus seditiones voce com-
presserit, quot armatorum millia solus
& inermis oratione terruerit, vsque adeo
vt periculi omnis immemores ad nutum
perorantis inuenti sint, & qui colla por-
rigerent & qui ferirent, qui gemeret ne-
mo, nisi & narratio longior & aliis locis
opportunior foret.

T. LIVIVS.

Qua sede præterea Titum Livium
locabunt, cuius eloquentiæ fama
de vitimis Mundi regionibus, admiran-
tes claros Viros Roma vsque perduxit,
quod & Plinius scribit, & post Hiero-
nymus principio Geneseos, ne quis igno-
rare valeat, testatus est: Quanta fuit ope-
ris excellentia, vt per tantum maris &
terrarum spatium, ad orbis Dominam,
& domitis nationibus imperantem, non
urgente negotio, non ob ipsius videndæ
desiderium in ætate præsertim Cæsaris
Augusti, sed ob vnum duntaxat eius
incolam audiendum, con-
cursus illustrium
fieret?

C. OCTA